


Johann Christian Clodius


**De Cavssis Contemptvs Lingvae Arabicae Disserit Ad Praelectiones Arabicas  
Avdiendas Arabismi Aestimatores : [Dabam Lipsiæ die XV. Julii An. MDCCXXIV.]**

Lipsiae: Litteris Henr. Christophori Takkii, [1724?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863440118>

Druck Freier  Zugang





Og. Tychoff

In hoc volumine continentur.

1. J. H. Michaelis historia linguae arae
2. J. Chriff. Clodii de cauffis contemptus linguae
3. in. Joh. Saind Schuepfe de ~~ling~~ ~~linguae~~ ~~afab~~
4. Samuelis Wesenfeldii sententia Mohamedy de jesse ~~Chriff~~
5. Martin Lubata Oriens in occidente
6. Joh. Henr. Lysius de usu linguae Syriacae
7. Tychoni Thomaei Tychoffa de Maranatha (Cor XVI, 22.)
8. Schuepfe de excommunicationibus Judaeorum
9. Sam. Wesenfeldii de caerimoniis Judaeorum a pontificis scandalis
10. Chriffoph. Wutzler de gentis iudaicae jatis
11. Aegid. Strauchii ΟΔΥΠΠΙΚΟΝ ΧΥ. ΚΩ.

C I 6 - 102 (1) 1-11.

1817

DE CAUSSIS  
 CONTEMPTVS  
 LINGVAE ARABICAE  
 DISSERIT  
 SIMVLQVE  
 AD  
 PRAELECTIONES ARABICAS  
 AVDIENDAS  
 ARABISMI AESTIMATORES  
 OFFICIOSE INVITAT  
 JOH. CHRISTIANVS CLODIVS  
 PROFESSOR LINGVAE ARABICAE.

---

*LIPSIAE,*

LITTERIS HENR. CHRISTOPHORI TAKKIL.

DE CAVSIS  
CONTENTVS  
LINGVAE ARABICAE  
DISSERT  
SIMVLQVE  
AD  
PRAELECTIONES ARABICAS  
AVDIENDAS  
ARABISMI AESTIMATORES  
OPICIOE INUIT  
JOH. CHRISTIANVS CLODIVS  
PROFESSOR LINGVAE ARABICAE  
LIPSIAE  
LITAE HENR. CHRISTOPH. TARNI

# إبراهيم بن عبد الله



T omnium fere literarum , ita linguarum  
inprimis Orientalium studia frigent ac con-  
temnuntur. Et parum abest, quin earum  
cultores Anticyram navigare, aut ad a-  
quas Sinuesanas proficisci jubeantur. Ac  
ut olim (\*) Pfeffercornius quidam, Reuchlini, primi lin-  
guæ Hebraicæ in Germania instauratoris, conatibus resi-  
stens, omnes libros Rabbinicos ad rogam damnavit,  
ita hi Misoglotti, linguarum Orientalium culturæ interi-  
tum, optant fere aut floccipendunt. Sunt quidem non-  
nulli, qui Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ pretium aliquod  
statuant, at Arabicam tamen infra illarum censum veni-  
re, ac minus excolendam esse, arbitrantur. Non nova ea  
est querela, sed antiqva satis ac pervulgata, quam Viri  
clarissimi, Pocokius, Uebtmannus, Relandus, aliique  
jam pridem movere. Cujus reprehendendi neglectus ac  
contemptus causas perquirens non unam deprehendo, ac

A 2

eos

(\*) Vid. Hermanni von der Hard Prodr. Epbemer. Phi-  
lolog. de factis stud. Hebr. & Bulei Hist. Acad. Paris.  
T. IV. p. 61. seq.

eas generatim in Schediasmate de Ephemeridibus Orientalibus scribendis, ante sex annos edito, tetigi. Ad Arabicam quod attinet, infedit in multorum animis opinio difficultatis, quam quidem cum *Erpenio*, *Waltono*, *Wasmutbo*, de sola grammatica loquentibus, nimis extenuare nolim, attamen tanta non est, ut cuiquam horrorem incutere, aut nauseam creare valeat. Nam ut fidi ac periti præceptoris opera, ardua quævis & salebrosa in scientiis superantur, ita linguæ Arabicæ difficultas facile (\*) vincitur, si cui per ignotos Arabiæ tractus eunti, gnarus viæ dux ac sincerus contingat, qui non per ambages, per horrida loca, ubi infelix lolium crescit, spinæque & steriles dominantur avenæ, sed via plana, amœna, compendiosa, eum ducat (\*\*), *ille vero cui corvus fuerit dux, in fetens cadaver caninum dilabatur*, ut Arabes loquuntur. Ac omnis fere illa difficultatis imago evanescit, si hujus linguæ studiosi clare percipiant, se non ad novam aliquam addiscendam cogi, sed cum Hebræa jam cognita aut cognoscenda certe, ad finem, immo ipsa vernacula Germanica harmonicam, quod doctissimus *Ravius* in dissertatione Anglice scripta, *a discourse concerning the easterne tongues*, & *Hinckelmannus* in præfatione Corani Arabici luculente demonstrarunt. Alii temporis, in magis, ut putant, necessaria impendendi, penuriam, aut inopiam argentariam, & librorum Arabicorum raritatem vel caritatem prætendunt, attamen hæc argumenta neminem a modica hujus linguæ cognitione arcere possunt.

(\*) Ita Alexander Capella Gerlaci Cancellarii Geldriae filius, Erpenii ductu, quatuor mensium spatio, libros historicos & quosvis communis styli Arabici libros explicare didicit. Vid. illius Orat. de lingua Arabica.

(\*\*) من كان الغراب له دليل يريه الي جيف الكلاب.

sunt. Neque enim nego temporis rationem habendam, idque juxta præfixum cuilibet scopum distribuendum esse, sed una semper horula, si recte illas dispensare velint, supererit, Arabismo danda & consecranda. Porro subsidiorum defectus accusari non potest, cum tanta eorum copia haud requiratur, nisi quis in penitissimam Arabiam progredi, ac in uberrimæ hujus linguæ abyffos sese immittere velit, cui tunc merito acclamandum illud Poëtæ Arabis (\*), *quare præcipitem te das in profundum maris, cum tibi de eo sufficiat sorbitio aqua modica?* Haud pauci ad insignium Virorum exempla provocant, qui literas Arabicas neglexerint, nec ut cum reliqua eruditione eas conjungerent, tanti æstimarint. Sed paucos admodum incitiæ suæ fautores allegare poterunt, quos linguam Arabicam plane ignorasse exploratum habeant. Nec sapiens exemplis regitur, & si illis regi volunt, cur non potius intuentur in contraria, & in magnam illam eruditorum Philarabum nubem, inter quos nonnulli de negata sibi occasione olim conqvesti, in gravissimis officiis, aut provecta demum ætate, linguæ hujus Veneres deperire cœperunt, Pomponii Jcti vestigiis in hærentes, *ac memore* qui dixisse fertur, *καὶ τὸν ἄτερον πόδα ἐν τῇ σωρῶ ἐχὼ προσμαθεῖν τι βουλομένην* i. e. (\*\*\*) *etiamsi alterum pedem in tumulo*

A 3

mulo

(\*) Extant hæc verba v. 55. carminis Abu-Ismael Tograi cui titulus *Lamiatô'l Ajam* seu *Lamiab Persicum* quia *Rawiya* ejus seu ultima litera per totum poëma est *Lam*, & auctor ejus *Esfahanensis* Persa fuit a munere vel peritia scribendi *طغرا* Togra b. e. implexam illam & crassioris ducius scripturam in diplomatis principum usitatum, *طغرايى* Tograi dictus. Edidit illum *Pocokius* lingua *Arabica* Professor Oxon. a. 1661. in 8.

(\*\*) leg. 29, π, de fideis. lib.



*mulo haberem, aliquid addiscere non pigeret.* Plurimi  
 vero solis Græcis Latinisque literis addicti, inutilitatem  
 crepant, & nullum fere locum Arabicæ literaturæ sive  
 in sacra sive in profana eruditione concedunt, ac  
 futilem quendam *περὶ ἑρμηνείας* studium illud vocantes inge-  
 niosi (\*) Epigrammatum artificis Bilbilitani effatum huc ac-  
 commodant: *Turpe est difficile habere nugas, & stultus  
 labor est ineptiarum.* Equidem doctissimo Ravio polli-  
 cem non premimus, qui in citata dissertatione Anglica  
 ait: *Let the Arabick tongue be commended to thee as that  
 we herein lies greater profit then in all Greek and Roman  
 antiquities, b. e. commendata tibi sit lingua Arabica, tan-  
 quam in qua majus emolumentum sit, quam in omnibus  
 Græcis & Romanis monumentis;* attamen singularem il-  
 lius usum non in sacra scriptura solum, sed & tota Ency-  
 clopædia, Vixi in literis Arabicis versatissimi, (a) *Ludo-  
 wicus de Dieu*, (b) *Hottingerus*, (c) *Waltonus*, & nu-  
 per (d) *Albertus Schultens* Professor linguarum Orien-  
 talium Franekeranus, ut plures taceam, variis libris,  
 alii vero singularibus (e) orationibus, in unum aliquando  
 volumen a me colligendis, *οφθαλμοφανέως* ostenderunt.  
 Quod si vero eo adducantur, ut usum aliquem illis lar-  
 giantur,

(\*) *Marzial. L. II. Epigr. 86.*

(a) *in Observat. ad V. & N. T.*

(b) *in Smegm Orient. in Archaeolog. & histor. Orient. in  
 dissertationibus &c.*

(c) *in Proleg. ad Bibl. Polygl.*

(d) *in Antiqu. Hebr. ex lingua Arab. illustratis & ani-  
 madversionibus.*

(e) *Erpenius, Ravius, Castellus, Maderus. conf. Pocok.  
 Pref. ad Togræi, & Progr. Scherzeri de fatis philo-  
 sophia Aristotelis inter Arabes ac dissertat. ejus de scēta  
 Loquentium qui *المتكلمين* dicuntur.*

giantur, jam tamen exhausta omnia ac in clara luce collocata esse clamant, ut Arabicam linguam amplius addiscere necesse non sit, & sic maximum argumentum, quo velut ariete quodam linguæ hujus studium labefactare se posse credunt, ex necessitatis absentia depromunt. Sed etiam si hoc ipsis dare vellemus, reclusas jam esse omnes literaturæ Arabicæ gazas, omniaque jam ex monumentis Arabicis eruta esse, quæ ad Hebræicæ linguæ in solo Sacro Codice superstitis, obscuras voces & phrasas, ditissimæ illius filia: opè, explicandas, ad Ecclesiæ orientalis statum, ac religionis Mohammedicæ per orientem disseminatæ dogmata cognoscenda, Historiamque & Geographiam Asiaticam & Africanam illustrandam pertinent, attamen cum supina hac linguæ ignorantia aliorum laboribus recte uti, aut tuto eorum assertis inniti nequeunt. Nam ut promulsidis loco quædam afferam, num Theologus etymologias vocum Hebræicarum ex lingua Arabica formatas dijudicare poterit? an ex textu Arabici diversitate variantes Hebræi Codicis lectiones exsculptibus mox accedet? statim ne assentietur auctori afferenti vocem *Alcoran* derivari ab *Al* quæ *Deum* significet, & *Koran* i. e. *lege*, cum potius præposito articulo Arabico, librum notet frequenter legendum, a rad. Arabica *قرأ* legit, ut Hebræi Scripturam sacram ob eandem causam *ספר* vocare solent. An cum leget, formulam illam singulis Corani capitibus præscribi solitam *بسم الله الرحمن الرحيم* ita legendam & exponendam esse: (\*) *Bi id est in sem id est nomen quasi dicam in Nomen Allabe id est dei, & Rabmine id est misericordie & Rouabim id est spiritus eorum*

(\*) Ita Georgiewiz. in libello de moribus Turcarum. Vera lectio est *bismillabi-rabbmâni-rabbîmi*, quo omnes suas actiones ordiuntur.

rum, & ex eo Trinitatis mysterium elici posse, perque Deum, PATREM, per Misericordiam, FILIUM, per spiritum eorum, SPIRITUM SANCTUM intelligi, confestim rem ita se habere credet, cum juxta Corani interpretes Arabicos per الرحمن seu الرحمان DEUS intelligatur quatenus essentiam & vitam omnibus impertit, per الرحيم vero quatenus ea sustentat atque conservat, aut per illud interna & essentialis, vel communis & universalis in credentes & incredulos effusa misericordia, per hoc externa & effectum perceptibilis, sive transiens & emanans, vel particularis quæ ad solos fideles spectet, denotetur, sicque formula illa, in nomine Dei miseratoris misericordis, proprie sonet. Num diabolus Arabice Tezel appellari legens, illico assensum præbebit, aut quomodo potest assensum retinere, nisi sciat دجال dasibâl esse Mohammedanis (\*) Antichristum, quem ante diem extremum appariturum esse, tradunt. Aut num Jureconsultus magni illius imperii Saracenicum jura, tot voluminibus extantia, absurda pronunciantibus fidem habebit? Num Medicus, Mathematicus, Astronomus, tot Arabicas voces in his scientiis servatas, ac vulgo corruptas recte intelliget sine illius linguæ adminiculo, aut earum in Oriente culturam ex historiis literariis Arabum nosse, plane supervacaneum esse, quia alii ita sentiunt, censebit? Quid cogitabit historiarum veteris studiosus, cum in historicis leget, fuisse Principem Arabicum, qui apud Lambecium in Commentario de Bibliotheca Caesar. L. II. c. V. p. 375. in annal. Franc. Amormulus, apud Lambertum Schaffnaburgensem ad an. 801. Amarmurlus apud Egolismensem & Reginonem, Amiraluminium & Amirmunmilinus audit? an tot diversa & horrida nomina, uni principi hæsisse

(\*) conf. Pocock. in Porta Moysi. p. 248.

hæſiſſe putabit? & an non potius iudicabit, hiftoricos Arabicos conſulendos eſſe, in quibus *Omarum Ebnôl Chattab* primum eo titulo, ſcilicet *Emirô'l mumenin, Principem fidelium*, inſignitum fuiſſe refertur. Et an non hac lingua opus eſſe cenſent, ad tot miſeros Mohammedanos, in craſſiſſimo errore verſantes, convertendos ore & calamo, quod multi (\*) Theologi optarunt. Hanc certe neceſſitatem jam olim agnovit *Clemens V.* Pontifex Romanus, qui in *Concilio Vienna in Burgundia* anno 1311. habito decrevit, ut in *Romano, Pariſienſi, Oxoniienſi, Bononiienſi, Salamantino*, Studiis, ad fidei propagationem, ejuſque contra infideles deſenſionem, Linguarum, *Hebræica, Chaldæica, Arabica* eſſent Profeſſores, & ſtipendiis competentibus, ut in *Jure Canonico Lib. V. Clementinarum tit. 1. de Magiſtris &c.* extat, alerentur, quod decretum in *Concilio Baſileenſi* ſub *Eugenio IV. & Sigismundo* Imperatore anno 1434. habito Seſſ. 19. denuo fuit approbatum, ac a *Paulo V.* novo decreto anno 1610. confirmatum fuit, ab eoque ad eundem finem *Congregatio de propaganda fide* fuit erecta, teſte *Bzovio in vita Pauli V. annexa Platina de Vitis Pontificum*. Quod vero omnia ad liquidum, & ad ſummum perfectionis gradum in literatura Arabica perducta ſint, hoc quidem *μυγα λιαν αληθεια* eſt, ac in ea opinione Arabiſmi oſores belle falluntur. Quamvis enim multi clariffimi Viri illam ſtupenda induſtria, ac labore fere Herculeo, ad miraculum excoluerint, largam tamen addendorum ſegetem reliquere. Habemus Grammaticas Arabicas, ſed Syntaxi

B utilif-

(\*) Confer literas Circulares *Wasmuthi & Ravii* pro erigendo Collegio Orientali, & *Acoluthi* ſpecimen *Corani quadrilinguis ſc. Arabici, Perſici, Turcici, cum verſione Latina.*

utilissima, & necessaria ad legendos auctores parte destitutis, habemus Lexica Arabica, sed multa in iis verba & nomina haud pauca, justus diversissimarum significatio-  
 num ordo, & formalis, proprius, fundamentalis, abstractus Radicum sensus, exempla que ex auctoribus Arabicis deficiunt. Prostant (\*) versiones MSS. Arabicorum, at pauca, imperfecta, navis maculata, prostant varii generis observationes alia, ex lingua Arabica petita, at quantillum hoc est? Multa nondum versa, nondum illustrata in tenebris jacent, magnam utilitatem allatura. Quod super est, utinam illi, qui vetus hoc ac translaticium de necessitate dictum semper in ore habent, ipsi necessaria a minus necessariis melius distinguerent, nec tempus, cujus omnino πολυελεστων αναλωμα est, & cujus in die illo, qui Arabibus يوم الحساب dies computationis & يوم الوزن dies ponderationis vocatur, Deo rationem reddere cogentur, inanibus, ineptis, ac impiis actionibus perderent. (\*\*). Discussis nunc vulgarium præjudiciorum nebulis, linguæ Arabicæ studii, quandam adhuc necessitatem, si non exigentiam, quam respuunt, attamen expedientiam, ut cum Scholasticis barbare loquar, esse apparet, quamvis forsan προς τα αλφита non faciat, nec amatores suos faci-

(\*) Has recenset Philologus, prematuro fato his litteris e-reptus, Relandus LL. OO. Professor Trajecti ad Rhenum, in Præf. ad Encbiridion studiosi, Arabice scriptum a Borbaneddino Alzernouchi, an. 1709. cum versione editum in 8.

(\*\*) Confer, que contra hanc objectionem de necessitate habet Relandus in lib. de Relig. Moham. §. 8. ubi inter alia ait, illam omnibus studiis litterarum bellum indicere & interi-  
 sum minari.

præf.

facile ditescere finat. Quod (\*) B. *Acoluthus*; Vir Arabicæ, Persicæ, Turcicæque linguæ apprime gnarus, eheu! expertus est, qui oblatum sibi Professoris linguarum Orientalium, in Academia Gryphiswaldensi & Lipsiensi munus, ob exiguitatem, ut ait, salarii, & accidentium, quæ vocant, recusavit. Sed aurum scientiæ, quod ex Arabum fodinis eruitur, non ni alio auro longe præstantius censei debet. Et *margaritæ sunt margaritæ*, quamvis interdum vili pretio emantur, ut Arabum habet proverbium. Ac quemadmodum mel ideo suave esse non desinit, quia ægrotis ita videtur, sic lingua Arabica utilis est, quamvis nonnulli secus iudicent. Utamur igitur felicitate nostrorum temporum, quibus & Manuscriptis, quæ in Bibliothecis Europæ publicis, *Viennensi, Vaticana, Parisiensi, Oxoniensi, Lugdunensi, Dresdensi*, & in ipsa hac nostra *Lipsiensi*, Amplissimi Senatus munificentia indies augenda, ac aliis privatis asservantur, & impresis libris Arabicis abundamus. Cogitemus seculum, quo ipse (\*\*) B. noster Heros *Lutherus*, exemplar Alcorani tantum oculis usurpare optavit, & nomen illius auctoris Mohammedis scilicet, seu laudati, in *Machomet*, vel *Mabumet*, ac vox Sura (سورة) caput Corani denotans, in *Azoara* ridiculo errore conversa fuit. Quot falsæ tunc de Mohammedanorum Religione ex (\*\*\*) antiqua Corani versione

B 2

Lati-

(\*) Vid. ejus epistola ad Abbatem Molanum in *Erymologicis Leibnizianis* p. 157. ubi & Anglorum ardorem in promovendis literis orientalibus, & viros Angliæ in illis egregie versatos laudat.

(\*\*) Vid. Tom. 8. *Altenburg*. p. 12. cujus etiam verba zel. plena, de studii linguarum necessitate legi merentur. Tom. 2. *Jen* fol. 549.

(\*\*\*) Hac Petri Abbatis *Cluniacensis* sumtibus a Roberto *Rezenensi* Anglo, & *Hermanno Dalmata* confecta, ac post 400. fere annos demum a *Bibliandro* in lucem protracta, a. 1543. edita fuit.

Latina opiniones natae sunt? Quot dogmata illis perperam attributa, quae nunquam in mentem ipsis venerunt, & quae ipsi execrantur, quam frigidam Mohammedanismi refutationes in lucem prodire? Scripserunt (\*) Cribrationes Corani, sed vere cribro aquam hauserunt, id est, frustra laborarunt. Quippe nulla literarum Arabicarum cognitione tincti, hostes aggressi sunt fictos, ac cerebri sui commenta oppugnarunt, cum umbris lepide dimicarunt, & ut olim (\*\*) Athenienses, contra formicas aurum custodientes, armis contra larvas sumtis, irrito conatu in aciem progressi sunt, viceruntque *πολεμικε εν οντας*, quod de Caio Cæsare *Philostratus* ait (\*\*\*) . Quot de ipso Mahammede fabulae culae fuerunt, de quibus in libris Arabicis nec vola nec vestigium apparet? Qualis illa est, quae de columba Mohammedi in aurem insulurrante circumfertur, qua & ipse *Trotius* Summus Vir deceptus est, at a *Pocokio* interrogatus, utrum illam ex Arabum, an Christianorum libris hausset, ultimum affirmavit. Quo factum est, ut *Pocokiu* in Arabica versione, libri de veritate religionis Christianae ab illo conscripti, hunc locum omiserit, ne Arabibus ludibrium deberet. Aestimemus, prout par est, linguam, quae elegantia, suavitate, (\*\*\*\*) ubertate, omnes reliquas Orientales

(\*) Talis est Nicolai de Cusa Cardinalis Cribratio Alcorani. *Petri de la Cevalleria* Zelus Christi contra Judaeos & Saracenos baud meliora profert cum aliis pluribus.

(\*\*) Vid. *Harpocr.* in *Χρυσοχοειν*.

(\*\*\*) Scripsit de iis, quae falso Mohammedanis attribuuntur, singularem libellum *Relandus*, ejus libro de *Relig. Moham.* annexum, sed non omnia exhausti, & *Gagnierius* Professor linguae Arabicae *Oxonienfis*, in *vita Mohammedis ex Abulfeda* nuper edita similia observavit, quam in *Aetis Eruditorum* brevi recensebo.

(\*\*\*\*) Inde est incredibilis illa in commutata dicendi ratione copia, & usitata Arabibus per homaoteleuta scribendi, etiam in pro-

tales superat, quæ tanta est amplitudine, ut ejus ope per totum Orientem peregrinari, & commercia instituere queas, cum non tantum per Anatoliam & Armeniam, Ciliciam Orientalem, ultra fluvium Pyramum, sed & in Syria, Mesopotamia, Ægypto, & inde per Africam, per totam Barbariam, & per omnes terras, quæ inter mare mediterraneum & montem Atlantem interjacent, teste Breerwoodo Anglo, vulgaris sit reddita. Et quamvis dialectis differat, inter quas Soriana præstat, judice Ebn-Phadl in appendice Psalterii Arabici, quod Patavii an. 1709. typis (\*) Seminarium editum est, & vulgaris lingua Arabica, dicta *لسان العام* *Lesân'laâm*, Græcæ hodiernæ instar, ab altera, quam *لسان النحو* *Lesân'lnabbw* seu Grammaticalem vocant, in non nullis discrepet, attamen ea diversitas facile addisci potest. Edidit vulgaris hujus linguæ rudimenta P. Dominicus a Silesia an. 1636. Romæ, & Parisiis similes observationes Domini la Croix linguæ Arabicæ Professoris, ac Interpretis Regii in MS. latent. Agnoscamus grata mente non deesse hodie adminicula, quibus veteres caruere, ac sub hujus studii incunabulis, molestias incredibiles devorare coacti, & in pudendos errores lapsi sunt, quod unico exemplo Johannis Zechendorffii, Rectoris olim scholæ Cygneæ meritisimi, probare volo. Is enim cum miro harum literarum amore incensus esset, Suras aliquot, seu capita Corani, colatis commentariis, in linguam latinam vertere cœpit, sed quo successu id præstiterit, ex eo patere arbitror, quod commentatoris Arabici vulgo *Beidhavi* dicti, (cujus fragmentum a Sura 19. ad 77. possideo) nomen legere non potuerit, & titulum commentarii *تفسير قاضي البضاوي* id est, *commentarius*

B 3

judi-

prosa facilitas. Habeo MS. sub titulo *مناشون* *Compositiones*, auctore Raschidoddino Alwarwâr, quod ex meris Epistolis & carminibus talibus constat, elegantissimis & ἵψος illud Asiaticum referentibus.

- (\*) Hoc a Gregorio Barbadico & successore ejus Georgio Cornelio, ad Orientales literas institutum est. Symbolum quod libris ex laudato seminario prodeuntibus, præfigi solet, est Phœnix e cineribus resurgens, cum verbis: post fata resurgo, conf. Pafini LL. OO. in eo Lectoris dissertatio critica de LL. OO. an. 1716. iisdem typis edita.



judicis *Beidawai* (fuit enim judex seu *Cadbi*, ut vulgo pronunciant, ~~in~~ ex urbe (\*) *Beidavia*, quam *Leucopolin* diceres) ita verterit: *interpretatio praefectorum, seu censorum Ecclesiasticorum, seu literatorum, seu sacerdotum Padawi*. Hem! quantum sudavit bonus ille vir, quæ monstra ejus oculis & menti obversata sunt, quantum titubavit ac vacillavit, nescius, ubi pedem figeret! Scilicet fefellerunt virum solertem puncta diacritica sub ۛ & ۞ concurrentia, quæ in manuscriptis sub priorem literam colligi, & instar Segol Hebraici: formari solent, de quo in introductione mea ad lectionem Manuscriptorum Orientalium, quæ de literis, earumque variis ductibus, punctis diacriticis, abbreviaturis, terminis technicis, aliisque agam, plura. Ne igitur contemnamus has literas, aut earum cultum supprimamus, exemplo Principis *Omari*, cujus jussu exercitus Arabum Dux *Amrus* ex pugnata urbe *Alexandria*, manuscriptis balnea calefecit, ut *Abulpharagius in historia dynastiarum* fufius refert. Audiamus potius gravissima *Relandi* supra laudati verba: *cume re totius sit Christianismi florere linguam Arabicam, & subsidia ad manum esse, ut tum sacer Codex illustretur, tum religio, mores & historia Mohammedanorum cognoscantur, utiles illi reipublica esse censendi sunt, qui operam suam eo conferunt*. Jungamus nos ingenti illorum numero, qui hanc linguam utilissimam in deliciis habuerunt, ac in exteris regionibus, *Anglia Gallia, Belgio, Italia*, diu præclare ex coluerunt, Theologi (\*\*\*) *Jure*

con-

(\*) Est plurium civitatum, ac oppidorum in *Ægypto, Persia, & alibi* nomen ac varii scriptores inde denominantur. Sic *Abā illa Beidawæus* *histor. dynastiarum* lingua *Persica* scripsit, cujus pars a *Müllero Greiffenbagio* *Jene* a. 1689. cum versione edita fuit.

(\*\*) De *Jure consultiis & usu linguarum Orientalium in jure*, *Schediasma meum de jure consulti Philologo* a. 1713. *Vitebergæ* editum, & *Grassi Politicus Orientalis*, qui plures ordine Alphabetico recenset *Politicos philarabes*, legi potest. Vocantur hi Arabibus *فقهاء* cujus singularis est *فقيه* *Phaki* vulgo *Sacerdos* dicitur, qui de licito & illicito, justo, & injusto in sacris, & civilibus pronunciant. *Decisionum fontes sunt quatuor, scilicet*

الكتاب والسنة وإجماع الصحابة والقياس

*Cora-*

confulti, (\*) Medici. Ne amplius exhorreamus Arabum nomen, nec putemus apud illos nil nisi barbarum esse, qui ipsi omnes alios <sup>فارسي</sup> i. e. barbaros vocarunt, omniaque perinde ac ipsam Arabiam, arenis squalida, sylvis implicita, saxis confragosa, sentibus ac dumetis horrida, nihilque amoeni, fere dixerim, humani habere, nobis persuaderi ne patiamur. Amamus potum, vulgo (\*\*) *Caffè* dictum, quem Arabi <sup>قهوه</sup> cum aliis fragrantissimis aromatibus debemus. Profert itaque regio hac aliquid boni ac palato grati, ergo, num Arabum ingenia sapidum aliquid proferre possint, videamus. Absit ut hoc negemus de gente, quæ per aliquot sæcula, omnes scientias ac artes multa industria tractavit. (\*\*\*) Præjudicium est, quod ex sola nationis diversitate soepe effingitur, & experientia refellit. Ego vero Spartam indulgentia *Serenissimi ac Potentissimi Regis nostri FRI- DERICI AUGUSTI* <sup>اطال الله بعه وادام الله علاه</sup> *prolonget Deus Ejus sanitatem & perpetuet Celsitudinem Ejus!* clementissime mihi collatam, ut ornem, pro virili annitar, (\*\*\*\*) *molam- que*

---

*Coranus*, *Sonna* seu *traditio*, *consensus Sociorum*, & *ratio*, vid. *Abulpharag. l. c. pag. 107.* *Decisum* vocatur <sup>فتاوى</sup> *فتاوى* *pl.* *فتاوى* *Fatavi.* confer. *Hydus in append. ad Bobov. liturg. Turc. & Pocoh. in Specim. Arab. p. 198. seqq.*

(\*) *De Medicis Philologis liber singularis prodit.* Olim *Avicennista* estimabantur, ut habet *Kirstenius medicus Vratislaviensis*, & *literarum Arabicarum solers promotor*, in *praf. Gram. Arabic.* Sed *versionibus Medici illius Arabis Avicenna* seu *Ebn Sina*, de quibus in *vita illius eodem modo*, quo *Averrois* seu *Ebn Roschd* *vitam scripsi*, *brevi a me delineanda agam*, *parum bona frugis in est.* De *Hippocratis* autem, quem <sup>بقراط</sup> *Arabes* i. e. *Bocrati* & *Galeni*, quem <sup>جالينوس</sup> *Schalinus* vocant, *versionibus Arabicis & Dioscoride Arabico Ebn-Beitbar* alio tempore *differam.*


(\*\*) *Arabice قهوة* scribitur & *Cabvab* pronunciat. Vid. *Traité historique de l' Origine du Café* in *Itinerario Arabiae felicitis Domini de la Roque*, pag. 271. & *Gazophyl. Persicum* *Angeli a S. Josepho* seu *Domini de la Brosse* sub hac voce.

(\*\*\*) *Conf. de eo differentem citatum Roqvium in Voyage dans la Palestine* ubi de *Arabibus Scenicis* agit p. 132.

(\*\*\*\*) *Vide de hoc proverb. Arab. Erpen. Gr. Ar. p. 112.*


que in dextram & sinistram, ac faciam monitionem meam rete, quo capiam  
 omnis generis prædam, ut sacundissimi oratoris, & Ciceronis Arabici (\*) *Ha-*  
*riri* verbis utar. Dabo syntaxin Arabicam, dabo supplementum Lexici  
 Goliani ex Veteri & Novo Testamento collectum, dabo textus Bibliorum Ara-  
 bici, ejusque versionis emendationes, & alia plura, neque committam, ut  
 studium linguarum Orientalium ac imprimis Arabicæ, a Germanis probe ex-  
 cultum, & in hac Academia *أم العلوم* *matre scientiarum*, (quam De-  
 us nobilitet! *يشرفها الله*) Viris Egregiis commendatum, mea negli-  
 gentia vilescat. Quo finē non Arabicis solum, sed & Persicis ac Turcicis scri-  
 ptis interpretandis curas meas accommodabo. Possideo celeberrimi in  
 Persia Ascetici, *Attari* (*عطار*) libellos, e. g. *أسرار نامه* h. e. *libel-*  
*lum secretorum seu mysticum*, & *نصیحت نامه* seu *libellum paræneticum*, opti-  
 mis monitis refertum, ex quibus aliquando excerpta concinnabo, ac cum ul-  
 timo sapientissimi Salomonis sententias morales conferam. In Turcicis habeo  
 MS. sub titulo *قانون نامه* h. e. *imperii Osmanici seu Turcici canonem*, qui  
 recenset, quæ & quibus stipendia imperante *Abmede* soluta fuerint, unde,  
 quæ sit imperii illius potentia, colligitur. Septem capitibus constat, ac in-  
 ter MSC. clarissimi Golii citatur, cui ipse notas ad didit. Insertum vidi talem  
 Canonem, *Historia imperii Osmanici*, quam Regis Magnæ Britanniæ ad Ma-  
 hammedem IV. olim legatus *Ricaut* edidit, ac instituta cum MSC. meo colla-  
 tione varia ibi corrigenda inveni. Et cum mihi nuper Dresdæ, quam De-  
 us tueatur, commoranti Cl. *Sebischlus*, Custos Bibliothecæ Regiæ doctissi-  
 mus, in ea MS. Corani nidissimum monstravit, cui in fine annexum erat  
*Fâlnâmeh* (*فالنامه*) lingua Persica scriptum, quo ad usum Corani in ejus evo-  
 lutione divinatorium, seu ad *Sortes Coranicas* institutio continetur, ipseque  
 aliud in nonnullis diversum, interlineari Persicæ Corani versioni adjectum, pos-  
 sideat, utrumque cum publico communicabo. Quod superest, Supremum  
 doni linguarum Datorem, omnibus linguis celebrandum, simplex rogo,  
 ut labores meos in illam vergere sinat, mihiqve benedicat. O miserator mi-  
 seratorum, duc nos in viam rectam, in viam eorum, quibus es gratus,  
 utpote ad iram haud provocatus contra eos, & non errantium. Dabam Lipsiæ  
 die XV. Julii An. M DCC XXIV. ex edibus Illustris *Thomasi in foro sitis*.

(\*) Extant in Confessu primo a Fabricio & Golio edito. Auctor illius 50. ta-  
 les *مقامات* seu confessus edidit, ac singulos illustrium urbium nominibus in-  
 signivit, presens Sananensis vocatur, ab antiqua Arabia felicitis metropoli  
 Sanaa, quæ si bene structa a radice Arabica *سنة* fecit, struxit. vide de ea  
*Voyage de l'Arabie heureuse* p. 229 seqq.





Small, light-colored paper label affixed to the upper right corner of the book cover. The text on the label is mostly illegible due to fading and the angle of the photograph, but some faint characters are visible.



the scale towards document

æ tanta est amplitudine, ut ejus ope per totum Ori-  
 i, & commercia instituire queas, cum non tantum  
 Armeniam, Ciliciam Orientalem, ultra fluvium  
 in Syria, Mesopotamia, Ægypto, & inde per Africam,  
 iam, & per omnes terras, quæ inter mare mediterranea  
 Atlantem interjacent, teste *Breerwoodo* Anglo, vul-  
 t quamvis dialectis differat, inter quas *Soriana* præstat,  
 ll in appendice *Psalterii Arabici*, quod *Patavii an-*  
*vinarii* editum est, & vulgaris lingua Arabica, dicta  
*lana' laam*, Græcæ hodiernæ instar, ab altera, quam  
*lana' lnabbw* seu *Grammaticalem* vocant, in non  
 attamen ea diversitas facile addisci potest. Edidit  
 guæ rudimenta *P. Dominicus a Silesia an. 1636.* Romæ,  
 observationes Domini *la Croix* linguæ Arabicæ Pro-  
 pretis Regii in MS. latent. Agnoscamus grata men-  
 ie adminicula, quibus veteres caruere, ac sub hu-  
 ulis, molestias incredibiles devorare coacti, & in  
 lapsi sunt, quod unico exemplo *Johannis Zeeben-*  
*olim scholæ Cygneæ* meritissimi, probare volo. Is  
 arum literarum amore incensus esset, Suras aliquot,  
 coliatis commentariis, in linguam latinam vertere  
 iuccessu id præstiterit, ex eo patere arbitror, quod  
 arabici vulgo *Beidhavi* dicti, (cujus fragmentum a  
 osfideo) nomen legere non potuerit, & titulum  
 ب تفسير قاضي البيضاوي id est, *commentarius*  
 B 3 judi-

*Habeo MS. sub titulo* منشآت *Compositiones, auctore Ra-*  
*warwâe*, quod ex meris Epistolis & carminibus talibus con-  
 sistentibus & *Ἰνσος* illud Asiaticum referentibus.  
 rio *Barbadico* & successore ejus *Georgio Cornelio*, ad Ori-  
 insitutum est. Symbolum quod libris ex laudato seminario  
 præfigi solet, est *Phœnix* e cineribus resurgens, cum ver-  
 resurgo. conf. *Pafini LL. OO.* in eo *Lectoris dissertatio critica*  
 1716. iisdem typis edita.